



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Synopsis Annalium Societatis Jesu In Lusitania

Francus, Antonius

Augustæ-Vindellicorum, M. DCC XXVI.

Annus 1679. Soc. 140.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72313](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72313)

Annus 1679. Soc. 140.

I.

Mortuus P.
Franciscus
Eduardus.

IN Domo Professa Ulyssiponensi duo præfinitum vitæ tempus compleverunt. 19. Maji P. Franciscus Eduardus, Fermoseliensis, Coadjutor spiritualis. Multa ipsi affabilitas inerat, charitas multa. Utraque fecit acceptissimum in Mazagonia. Postea egit Procuratorem Conimbricensis, & Ulyssiponensis Collegii, ac tandem Professæ domus. Frequens in templo erat tum orando, tum visitando altaria, tum confitentes auctando, ac dirigendo. Alter postemâ Decembris P. Antonius Mellus, in oppido S. Columbæ natus. Excoluit per annos aliquot Lusitanos in Mazagonia, & urbe Tingitana. Comitatus est P. Antonium Vieiram missum à Rege in Hollandiam. Ultimos annos exegit cæcus, ac morbidus.

P. Antonius
Mellus,P. Laurentius
Rebellus,

2. Angræ 2. Maji P. Laurentius Rebellus Ulyssiponensis. Summo erat ingenio præditus ad quæque grandia. Verùm comitialis morbus sic eum afflixit, ut Medicorum consilio ad Insulas navigaverit, cùm judicarent illud coelum hujusmodi morbo leniendo, vel frangendo esse idoneum. Appellus ad Maderam cœpit è suggesto sacro verbum DEI proponere maximo audientium emolumento. Inde missus ad insulas Tertias, primus fuit Fayalensis Collegii moderator. Docuit inibi scholas, & Angrenses annis pluribus doctrinam moralem, in qua habitus est insignis Magister. Ejus nomen per illas insulas, & viciniam, fuit celeberrimum tum litterarum, tum virtutis opinione. Lacrymas ille prior effundeat è suis oculis, mox eliciebat ex alienis. Cadaver inter populi concurrentis lacrymas terræ est mandatum.

P. Joannes
Cabralius.

3. Conimbricæ 14. Augusti P. Joannes Cabralius Loufanensis. Scientias Eboræ tradidit, ubi & insignitus laureâ Doctoris Theologici. Rexit Scalabitanum, Eborense, & Conimbricense Collegia. Visa est in eo antiqua sinceritas, & bonitas. Erga subditos, & egenos liberalis. Non ferebat nostros uti panis aliis in vestitu, quàm coemptis à Procuratore, cùm subditus, nescio, quid interioris indumenti haberet non soliti, quod coram ipso, & aliis coniecit in flammis.

P. Franciscus
Aranea,

4. Eboræ 16. Maji P. Franciscus Aranea, domo Arronchiensis. Vix explicari potest ejus affabilitas, quâ sibi conciliavit omnium corda. Adeo laboris amans fuit, ut etiam in suprema senectute rogaret Ministrum, sibi exhortationes domesticas injungi, dicens, esse non boni exempli, otiosam vitam ducere.

P. Dominicus
Azevedus,

In Portuensi Collegio 22. Junii P. Dominicus Azevedus, tria vota solemniter professus. Tolerantissimus fuit in affectionibus corporis sustinendis. Semper in eo singularis micuit observantia S. obedientiæ, & studium fugiendi otii. Dum præsentibus erant, qui vellent animas expiare, non surgebat è sedili confessionum. Rem domesticam administrans, etsi commoditatem suam negligere, fuit summè studiosus alienæ.

Primus lapis
templi Hel-
vientiis,

5. Julii mensis die quartâ postus solitâ cæremoniâ primus lapis Helvientiis Collegii templo, præsentibus Episcopo urbis Alexandro Sylva, Joanne Gommio Figueiredo tormentorum belli summo Præfecto, Tribunis militum quàm plurimis, nobilitate, & innumero populo.

Annus 1680. Soc. 141.

I.

Profecti ad
Indiam,

TAmetsi biennio proximo nulli navigaverant ad Indicas regiones, hoc anno undeviginti operarii selectissimi eum defectum compensarunt. Præerat omnibus P. Petrus Arochius Cetobricensis in Academia Eborense Theologus Doctor, & Cancellarius, cujus generosum exemplum multos per-